



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

11. Dies Janvarii. Ingens intervallum inter te, & cæteros fiat. Seneca Epist.
53.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

II. DIES JANVARIi,

Ingens intervallum inter te, & cæteros
fiat. *Seneca Epist. 53.*

Ut cum gratia I.
coopereris, ne-
cessarius est ali-
quis secessus.

SI tibi certum est cum Deo, &
Dei Gratia operante coope-
rari, curæ tibi sit ne vivens
cum vulgo, opera tua sint vul-
garia, Potes cum Dei Gratia omnia, quid superest
quam ut ejus ope, antecellas omnibus? Hoc est, quod
intendo tibi suadere, ut concedas non esse quasi unum
de multis, sed inter multos singularis. Sis in mundo,
sed non de mundo; in terra, sed supra terram; in cor-
pore, sed quasi extra corpus, cum hominibus, sed
quasi sine hominibus. Paucis ut complectar omnia,
ut *ingens intervallum inter te, & cæteros fiat.* Sic vive,
ut cum desinendum erit vivere, te vixisse, nec ob fœ-
ditatem pudeat, nec ob perversitatem pœniteat. Sic
vive, ut posteritas sciat, te vixisse. Sic vive, ut aliis sis
vivendi, non tantum quod intueantur exemplar, sed
quod imitentur exemplum. Sic vive, ut mori te pos-
se judices, non extingui. Sic vive, ut sis potius vitâ
melior, quam famâ clarior. Ut in hâc vitâ mortali,
magnâ animi excelsitate efferas te supra id omne,
quod est mortale; & sic libera voce dicas cum Poëta:
Non est mortale, quod opto. Ad hoc te ducam fasti-
gium, & quod mirere per temporis, & laboris com-
pendium, si lubeat audire, & non pigeat sequi, quod
suggeram Consilium.

II. Cùm ubique plurima sint homini, ab homine
mala, ut delines mala, & sectando bona, evadas bo-
nus,

nus , necesse est ad tempus secedas ab hominibus. Rari inter homines , homines sunt , aut hoc agunt, quod agendum, id est, quod Natura, Ratio, Religio suadet. Ideò nunquam eris minùs homo, quàm in turba hominum. Imò non tantum cupio secedas ab hominibus, sed à rebus. Fuisti hactenus inter catenatas occupationes otiosè negotiosus , & dum omnia egisti, nihil egisti. Inter tua, non fuisti tuus. Palabundus animus hinc, inde latè extra se vagatus est. Atque ita inter multa fuisti multus : fige tandem pedem in uno, ut sis unus. Et qui te negotiis non accommodasti, sed tradidisti, te tibi redde, & ad te redi. Non est quod expectes immixtus turbis ; nisi in corde turbas, in mente umbras. Est enim turba plebis, turbo pacis. Sic enim modò vivitur , ut in plurimis hominibus, vix quidquam reperias hominis, præter figuram corporis.

III. Illud existima extra omnem dubitationis aleam, fieri non posse , ut quis menti ornandæ, & instituendæ serviat, nisi se ultrò ab hominum societate, commercioque abducat. Tunc demum vacabit tibi, vacare bonæ menti ; nam ipsius Ethnici Philosophi calculo, (a) *Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti; nemo ad illam pervenit occupatus.* Huic accedat Isidori suffragium, quasi Sybillæ folium : (b) *Qui à medio communium rerum strepitutu non recedit, & otium non agit, Dei cognitionem assequi minimè potest.* Rectè: Nunquam eris minus à Deo desertus, nec magis coram Deo desertus quàm in deserto. Desere igitur omnia, ut reperias unum, in quo sunt omnia. A populo semotus ad te ipsum

(a) *Senec. Ep. 53.* [b] *Isid. Pelus. l. 1. Ep. 402.*

sum accedes propius : Cum antiquitate versaberis
 meditando, scribendo, legendo; horas utiliter distin-
 gues, & dies duces, & in otio sacro occupaberis. Ni-
 hil enim simili otio negotiosius. Sic æstuantia multo-
 rum vota despicias, erigesque velut è nube caput, at-
 que serena contemplaberis. Denique quam es intem-
 peranter cupidus quietis, tam sis certus, nunquam
 fruaturum te quiete, nisi ad amissim observes illud.
 Allois Abbatis monitum : *Non habebit homo re-*
quiem, nisi dixerit in corde suo: Ego, & Deus, soli su-
mus in mundo. Ergò ut quiescas.

Vive Deo soli, quod amat caro, querere noli.

12. DIES JANUARI.

Tota vita mortalium, plena est peccatis
 mortalibus. *D. Innocent. de contemptu*
mundi.

Ad seces- I.
 sum Sti-
 muli,

HÆc tessera canit classicum, ad
 illum, quem suasi secessum.
 Quis enim vel se dolet peccato
 se, vel proponit non peccare,
 non fugiat ubi omnia sunt plena peccatis, vel peccan-
 di periculis? Quis securus sit illo loco, ubi Virtuti
 nullus est locus? Ubi exemplis malis, & consiliis pra-
 vis est imperium? Ubi inveterata in malis consuetu-
 do, lex est? Quasi quidquid placet, deceat: quidquid
 delectat, expediat? Quid in populari fremitu, & fo-
 rensi strepitu reperias, nisi contentiones, adulteria,
 fraudes, injurias, furta, rapinas, homicidia? Ubi sine
 gubernaculo est navigatio, sine baculo senectus, sine
 freno juventus, sine duce cæcitas, sine solatio cala-
 mitas.